





1794, 4.

PROCANCELLARIUS  
D. CHRISTIANVS GOTTLLOB  
BIENERVS

CVRIAEC SVPREMAE ELECTORALIS SAXONICAE ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ADSESSOR INSTITVTIONVM IVRIS PROF.

P V B L . O R D .

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
VIRO CLARISSIMO

CHRISTIANO GOTHOFREDO  
TILLINGIO

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRO

A. D. IX. OCTOBRI. CCCCCCLXXXIIII.

H. L. Q. C.

I M P E R T I E N D O S


I N D I C I T .

---

Praemisso obseruationum iuris publici et feudalis  
specimine I.

*De iure apertuae, quatenus Imperatori atque Imperio in castris ac munimentis  
territoriorum Germanicorum competit.*





De iure aperturæ  
quatenus Imperatori atque Imperio in castris ac  
munitamentis territoriorum Germanicorum  
competat.

§. I.

Quid apertura comprehendatur et quo modo imperium castris suis exciderit  
brevi narratur.

Ius aperturæ partim in eo cernitur, ut dominus castræ et castelli fugientem exercitum militesque alterius recipere tutelamque praestare teneatur, partim, ut exerto bello aliena praesidia admittat. Hoc quidem dupliciter fieri potest, primum ita, ut castræ arcisæ dominus retentis praesidiis suis, aliena simul introduci patiatur, deinde, ut militibus suis deductis, locum munitionis, alteri, qui dominus non est, vacuum praebeat, quo praesidia ibidem disponere atque hostes inde lacestere queat. Has formas olim iure aperturæ suisse comprehensas monumentis historiae patriæ docemur, nec causam rationem video, per quam id ipsum moribus nostris fieri aut exigere posse negetur.

Naturali lege, quam ex fine, natura essentiave civitatum intelligimus, nulli dubium esse potest, quin civis reipublicæ, etiam si Princeps sit multorumque territoriorum potens, exerto bello castra sua summae potestati praesidiis firmanda et tuenda tradere obligetur. Etenim singulorum adeo civium est pro virili et adiuuare salutem reipublicæ et tueri securitatem publicam. Principi igitur, universæ civitatis rectori, castra et alia loca munita, quamvis et proprietas et possessio singulorum sit, salutis ac securitatis publicæ tuendae firmandæque causa ingredi fes erit, atque cohortibus militum ibidem collocatis hostem a finibus reipublicæ arcere belloque inde petere.

In Germania ab antiquissimis ferme temporibus ius contrarium obtinuit. Potentes enim in fundis territoriisque suis arcæ habuissent extrectas, neminem historiæ patriæ peritum fugit, sed iure dominii ac libertatis Germanicæ usi, nulli ac ne Regi quidem et Imperatori suo, castra aperiere sua. Atque ipsi quoque Imperatores de hoc iure non dubitarunt, modo ne inde securitas publica vel privata turbaretur. CHRONI-

## IV

CON WEINGARTENSE apud LEIBNITIUM S. S. Rer. Brunsv. T. I. de Guelfis memoriae prodidit: *in tantum ditarū ipsi quoque Romano Imperatori homogium facere* (id est fidem clientelarem spondere) *recusabant et viribus propriis consili omnis terminos suos per se magna industria et fortitudine defendebant.* Nec alte huius iuris latet causa. Eorum enim erat et se et subditos suos tueri, qui aut dominii aut magistratus iure alii praerat. Itaque ius arcium exstruendarum praesidiisque firmandarum iis denegari non poterat, ut alias rationes ex natura et indole civitatum Germanicarum facile demonstrandas taceam.

Imperatores Regesque Germaniae, praeter castra in terris alloidiisque suis, in quibus Dynastiarum iure utebantur, plura alia, tam in terminis regni ad hostes extraeos arcendos, quam in media Germania ad auctoritatem et securitatem reipublicae tuendam, possederunt olim, neque dubitarunt nova adeo in solo regni sumtibus publicis exstruere. Si quis et Marchionum regni Germanici et Burggraviorum auctoritate Caesarea ad fines Imperii et in media Germania ordinatorum meminerit, assatim exemplorum habebit, tentietque in his adeo potentissimarum per Germaniam gentium origines, latere. At enim omnibus munimentis Imperium paulatin excidit, ut ne castellum quidem superstis, quod hosti opponatur. Cum enim Imperatores more saeculi Principes nobilesque castris investirent, quae iure magistratus regerent atque tuerentur, factum est, ut possessione et rectura in dominium patrimoniumve conversa, omnifere Imperatoris Imperique potestas excluderetur.

Ius praesidiū, a iure aperturae omnino discretum, in duabus arcibus, quarum unum Kehl appellatum intra ditionem Marchionis Badensis, alterum Philippiburgum in territorio Episcopi Spirensis situm, imperio quidem competit, ut salvo Principium territorialium dominio, omnis penes Augustum sit armatus, sed nescio quo fato evenierit, ut utrumque castrum eductis cohortibus armamentisque ademitis et magna ex parte collapsis munitionibus negligeretur. Ingruente igitur hoste Gallo, Germania nullis castris munita aut defensa, magnam sensit calamitatem, ideoque prudenti consilio in *Lega Regia LEOPOLDI II. A. Art. IV. §. 6.* cautum fuit: Wir wollen auch dort wo einmal eine Vestung von Reichswegen besetzt und mit einem ständigen Gouvernement versehen war, solche unter keinerlei Vorwand, ohne Einwilligung der Kurfürsten, Fürsten und Stände räumen und eingehen lassen, noch weniger aber zugeben, daß der sonstige Grundeigentümler sich eigenmächtig in den Besitz der Vestungswerke setze oder solche wohl gar demolire. Hunc locum de castris modo commemoratis accipiendum esse historia docet, quam MOSERVUS, REYSSIVS, CROMIVS aliquie narraverunt.

## §. II

*Nullum ius exstruendorum castrorum in territoriis Germaniae  
Imperatori Imperiove competere differit.*

Munitorum castrorum ius et arbitrium a nulla civitate, si finem eius consideraveris, abesse potest. Hanc igitur facultatem regno Germanico eiusque rectoribus nemo facile negabit, certum tamen etiam huius iuris modum legē publica definiri pluit. Olim quidem huius iei arbitrium penes Augustos erat, castra enim sumtibus facti Caesarei aut in locis expugnatis aut in solo Imperii publico muniebantur, ideoque non potuit non idein licere Imperatoribus, quod Dynastis in suo lieuisse diximus. Hoc autem ius paulatim mutatum fuit. Exorta enim feudorum successione, Principes atque vassalli regni Germanici castella Imperialia intra feudum territorium aut ad limites eius, sicut in solo Augustali, exstructa, quasi servitatis simulacra, aegre ferebant, ideoque cavere studebant, ut ne in vicinia novam aliquod munimentum exstrueretur atque exstructa in ipsorum dominium potestateque redigerentur. Quod quia paulatim factum est, novis temporibus res aliam plane induit faciem; iusquidem supereft, sed deest solum, in quo arx castellum exstratur. Omniem enim terrae faciem occupavit dominium territoriale, more maiorum urbs muniri aut castrum erigi nequit, nisi in fundo Imperiali, ut adeo usus illius iuris non possit non cessare. Atque ut ne dubium remeneret, Capitulatione Augustali Art. IV. §. 6. sancitur;

*Wir sollen und wollen weder in wärenden solchen Reichskriegen, noch auch sonst in der Kurfürsten, Fürsten und Stände Landen und Gebiete, auch Reichsritterschaftlichen Orten und Gütern einige Vistungen von neuem anlegen oder bauen, noch zerfallene oder alte wieder einenern, vielweniger andern solches gestatten oder zulassen, immassen dieses allein, die Landesherren nach den Reichsstatzungen in ihren territoriis zu ihun besuge und berechtiget sind. Ius hoc loco statutum novum non esse, partim ex iis, quae differimus, partim ex Constitutione FRIDERICI II. A. de iuribus Principum Ecclesiasticorum anno MCCXX. edita intelligitur. Hoc igitur articulo consultum fuit territoriorum dominis, sed ne quid in fraudem Imperii fieret Instr. Pacis art. VIII. §. 2. cautum, comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio et consensu opus esse: ubi delectus aut Lospirationes militum instituenda, nova munimenta intra Statuum ditiones exstruenda nomine publico veterave firmanda praesidiis. Itaque si et Augustus et Ordines Imperii et Princeps, cuius est solum territoriumque, consentiant, nova exstru et muniri possunt castra veteraque et reparari et praesidiis firmari, sed an ex decreto Imperiali, si a Kehl et Philippiburgo recesseris, Princeps territorii invitatus quid pati et*

admittere obligatur, omnino quaeri potest. Ego vero id negaverim. Neque enim unquam summae potestati licuit tale quid moliri in Principum Germaniae territoriis, eademque est legis Augustalis supra relatae mens ac ratio; vitrum autem urgente necessitate atque exigente id ipsum securitate publica, Imperator, exhibito Ordinum Imperii consensu, ex plenitudine potestatis locum fortalitio aptum inconsulto territorii Principe legere et munire possit, non disquiro. De usu autem illius iuris in locis expugnatis atque ab hoste imperii captis dubitari nequit. Quum igitur et castris desitutus imperium sacrum, et ius praesidii in duobus locis competens fere inutile sit, atque ne solum quidem adsit, in quo castrum extratur, operae pretium erit brevi disquirere, an iure aperturae, patriae consuli possit.

## §. III.

*Ius aperturae in castris et munitis territoriorum Germanicorum Imperatori atque Imperio non competere statuitur.*

Non desunt, qui ius aperturae in castris Principum Germaniae, praesertim exorto aut decreto imperii bello, Imperatori vindicare student. Etenim praeter SCHEIDERDEMANDELIVM in Repertorio Iuris Publici et Fendali sub verbis: *aperturae ius, VITRIARIUS T. IV. p. 79.* secundum editionem Pfeffingeri, id affirmavit. Argumenta autem allata mihi non fecere satis, ideoque Imperatori atque Imperio aperturae ius in castris castellisque atque urbibus munitis territoriorum Germanicorum competere neganduum esse censeo. Legem imperii scriptam, qua id definitur, recitere non vales, RECESSUS enim IMPERII anno MDCXXXI, conditus §. 27. et 28. qui passim allegatur, huc non pertinet, id ipsum autem alias argumentis facile evincetur. Omnia imperii castra, aut alodii aut feudi iure possideri ideoque aut in pleno aut utili Principum dominio esse constituta nemo facile addubitat, neutrum autem dominorum obligari, ut rem suam in utilitatem imperii aperiat, ex his intelligi posse arbitror. Subiectio civilis erga imperium, eam vim nunquam habuit, ut Augusto fas foret, aut possessionem loci territoriive ad Principem et Dynastem pertinentis sibi arrogare, aut dominum possessoremvisa dominioque rei sua privare. Etenim haec semper libertatis Germanicae habita fuit pars sanctissima, ut quilibet in suo versaretur tutissime, neque a quoniā, ne a summa quidem potestate, turbaretur. Dominium directum in castra et territoriis feudalia Imperatori quidem denegari nequit, sed ius aperturae eodem comprehendendi dominio, neque legibus neque moribus statuitur. Vassallus igitur castrum in suam et domini utilitatem defendit, domino et fidem et servitia praefat ex na-

tura feudi debita, sed ius praesidii atque aperturae recte denegat, nisi pacto contractui  
 feudali adiecto alterutrum comprehendatur. Itaque talia feuda et castra, in quibus  
 aperturam sibi stipulatus est dominus, verbo proprio a reliquis discerni ex historia et  
 disciplina clientelari constat, atque omnino V. ILL. PÜTTMANNVS Element. Iur.  
*Feud.* § 135. in nota subiecta recte monuit, ius aperturae ex pacto oriiri nec vassallum  
 ipso iure ad castum suum domino aperiendum obligari. Ius hoc olim receptum ad  
 nostram usque manauit aetatem, neque dubito quin pro more maiorum, nulla aut lege  
 sui consuetudine mutato, custodiatur. Quamobrem Principes Imperii, referente STRU-  
 VIO Corp. Iur. Publ. cap. XIII. §. 23. atque AUCTORE Theatri Europaei T. II. p.  
 118. Augustis Carolo VI. et Ferdinando II. ius aperturae postulantibus suo iure contra-  
 dixerunt. Idem ius dominos castrorum in ditionibus Principum olim fecitos fuisse, in  
 COMMENTARIIS de origine et progressu legum iuriumque Germanicorum P. II. Vol.  
 II. §. XXV. nota 6. pluribus argumentis auctoribusque demonstravi, an autem id per  
 rationes superioritatis territorialis mutatum abrogatumque fuerit, non vacat quererere,  
 sed in iure imperii publico et feudali pristinum ius servatum fuisse, etiam legum no-  
 viissimarum rationes satis demonstrant. INSTR. PAC. art. VIII. §. 1. sancitum legi-  
 tur: omnes et singuli Electores, Principes et Status imperii Romani in antiquis suis iuribus,  
 praerogativis, libertate, privilegiis, libero iuris territorialis, tam in ecclesiasticis, quam politi-  
 cis exercitio, ditionibus, regalibus, borumque omnium possessione, vigore eius transacionis ita  
 stabilitati firmatique sunt, ut anullo unquam sub quounque praetextu defacta turbari possint  
 vel debeant. Ex hac lege ius quoque apertura denegari possem mihi videtur. Id enim non  
 impedit solum liberum iuris territorialis exercitium, sed dominus etiam possessione sua  
 perturbatur, verendumque est, ne tali praetextu aut ad tempus aut in perpetuum re pos-  
 sessione sua deiciatur. Atque eadem quoque mens est Legis Regiae FRANCISCI II.  
 A. art. 1. quo Imperator promittit, se neminem aut in iuribus aut in possessionibus suis  
 turbatur, se nulli regimen territorii, ullo sub praetextu, interdictum nec permis-  
 sum, ut rectores provinciarum Germaniae in ullo iurium territorialium impediantur.  
 Quae quidem omnia sanctitate iurium Principibus intra ditiones suas competentium  
 satis demonstrant, ut ea invadere aut laedere summae adeo potestati nefas habeatur.  
 Plura igitur argumenta non anquiram, praesertim quia et usus ius nostrum demonstrat.  
 Nec rationes dissentientium ex natura ac fine civitatis petitae contrarium euincunt.  
 Obligatio enim Principi atque populo imposita, ut rem publicam eiusque securitatem  
 ab internis externisque hostibus defendant, facultatem non tribuit involandi in iura  
 civium quæsita, tantumque abest, ut inde necessitas aperiendorum castrorum demon-  
 stretur, ut potius illa ipsa obligatio in Principibus territorialium, tanquam singulorum

### VIII.

populorum rectoribus reposita videatur. Quamobrem non exulat e Germania illius iuris usus, quod per naturam civitatis fieri nequit, sed modum ex propria civitatis nostrae forma accepit, quem etiam ab Imperatore et Imperio observari oportere puto.

Idem ius in castris urbium imperialium nobiliumque immediatorum sequendum esse, ego certe non dubito. Rationes enim allatae ad haec quoque territoria adcommodari et possunt et debent, neque de iure disputatur argumentum ab imbecillitate depromptum, in manu armamentarioque reconditum, curo, quamvis *M A S C O V I U S de bello solemni Imperii Sect. II. §. IV.* sibi non satis ab hac distinctione caverit, nec contrarium ex more antiquo offerendi claves portarum Imperatori urbem ingredienti, qui in civitatibus imperii retentus fuit, demonstrari posse arbitror. Est enim haec solemnitas, qua obedientia Imperatori debita declaratur, sed sive iure publico priuatoque, id quod ipse Augustus claves oblatas aut non accipiendo aut mox reddendo palam significat. *R E C . I M P . a n . 1641 . § . 56.* prohibet Augustus, quo minus vis inferatur magistratibus urbium imperialium additique; *immaßen Wir auch keinerweges gestatten wollen, daß von dem Magistrat die Thorschlüssel abgefordert werden, es wäre denn, daß die Notb ein anderes erbeischen thäre.* Quidocum, quamvis ad duces belli spectet, in universum iuris est. Stat igitur iuris publici regula, in castris et castellis Principum, civitatum, nobiliumque imperii nullum ius aperturæ, competere, Imperatori Imperioque sed anne regula interdum fallat, videamus.

### §. IV.

*Exceptiones regulæ propositæ expenduntur.*

Praecipuus aperturæ usus in bello cernitur, licet fieri possit, ut pace quoque postuletur. In Germania nulla obtinet temporis distinctio, ut regula supra stabilita pace belloque servetur. Pace quidem nullam eius exceptionem dari statuo, quamvis enim transitus copiarum concessus sit atque licitus, per castrum tamen vibenique munitionem iure denegatur, sed bello imperii decreto exortove fieri potest, ut apertura Imperatori Imperioque iniuria denegetur. Quodsi enim Princeps castrum aut monumentum hosti oppositum teneat, id ipsum autem ab ingressu et occupatione hostium tueri nequeat, manu armata, aut tormentis necessariis aut reliqua armatura desitutus; Imperatori atque Imperio facultatem exigendæ aperturæ dari arbitror. Principis enim est non sua solum, sed et territorii ac imperii causa hostem ingrumentum arceri copiis suis castrisque, sequitur igitur, ut si dominus territorii obligationi suae satis

nequeat facere, ius et obligatio territorii atque imperii tuendi ad supremam redeat potestatem, eaque de causa castris ac loci muniti apertura recte postuletur. Accedit et hoc, quod neque territorium neque imperium aliter saluum defensumque est possit, Recte igitur MOEGLINGIUS de summo militiae Imp. praefecto cap. II, §. 13. certum est, inquit, locorum munitorum intra fines imperii sitorum, licet ad singulos ordinum pertinentium, curam et inspectionem superiorem imperii esse, quia non illius tantum territorii, sed vicinia et portus imperii inter se, fortalitia ad publicam defensionem satis esse infraera. Praefat enim fortalitia non habere, quam non bene firmata, quae hostis potentior irrumptus in fines facile potest occupare et maiori praesidio imposito, et munitione noua eorum recuperationem difficultorem reddere. Itaque in specie proposita Imperatoris erit monere castris dominum, ut illud bene instruat defendatque, exorta autem malae defensionis suspicione, inquirere, quo modo castrum munitum instructumque sit. Imminente igitur periculo, rem ad Ordines regni deferri oportet, ut in commune consultetur et statuatur, utrum aperturam exigere, an castrum negligere et re publica videatur. Priore casu duplex iniri potest ratio, una quidem, ut omnis tuitio summis publicis suscipiatur atque ipsa forte munimenta reparantur, altera, ut et territorii et imperii copiis, tormentis atque impensis defensio instituatur. Semper enim remanet Principis territorialis obligatio, ut manu impensa sua, in quantum fieri potest, hostem a suis castris ac territorio arceat. Quom ob rem si sponte castrum urbem copiis imperialibus defendendam tradere paratus sit, non licet ipsi copias dimittere aut armaturam negligere, sed praesidiis territorialibus iungi debent copiae imperiales, ut manu coniuncta hostes arceantur.

Alteram exceptionem eo casu mihi reperire videor, si Princeps castris hostibus obiecti possessor ex foederis aliaue caussa cum hoste facere praesumatur. Quod si enim aperte cum hoste imperii foedus vel arma iunxerit, ipse pro hoste imperii declarabitur factaque proscriptione bonis exuetur suis. Quamobrem de apertura, in qua de iure disceptatur, quaestio non erit. Si autem iusto duntaxat metu angatur imperium, ius exigendi cautionem summae potestati datum existimo, postulandique ut in castris oppidisque munitis praesidia imperii admittantur recipienturque. Atque ita ius est, quid prudentia in singulis casibus suadeat, tam ex gradu suspicionis, quam ex potentia Principis suspecti, existimandum erit, certe semper usus illius Ordinum consensum exigit.

Tandem eo etiam casu aperturam denegari non posse existimo, si castrum iure feudi, sed ea lege, ut domino speriatur, id est, tanquam feudum aperturae possideatur. Quanquam enim priscorum castrorum et feudorum per mutatas militiae rationes exiguis esse solet usus, nullum tamen non dixerim, multo minus ipsum ius aperturae antiquatum, eaque de causa talis castrorum aperturam, modo in utilitatem Imperatoris Imperique exigatur, fieri oportere contendemus. Hes igitur exceptiones Iuris publici et feudalismi dixerim, brevi eas perseguar, quae ex facto oriuntur possunt.

## §. V.

*Quid in casu necessitatis iussum iniustumue sit, quaeritur.*

Fortuna belli varia est, quae si terga veriterit copiis pro imperio militantibus, ut has ipsas terga hosti dare oporteat; quorum Principum territoria hostibus et inquisitoribus exponuntur, nunc est exercitum imperii omni manu sua adiutum ire. Quare non milites solum cum copiis imperii iungere aut seorsim contra hostem castra locare, in quo genere Landgravius Hassiae, irruente ante biennium Gallo, illustre praebuit exemplum, sed si res et salus imperii ita ferat, castris castellisque et urbibus munitis fugientes nec hosti resistere valentes recipere tutelamque praefestare teneatur. RECESSU IMP. AN. 1641. §. 7. statuitur; *Keine Hauptförification soll ohne unserver oder unserver Generalen Befehl vorgenommen, die gemeine Defensiones aber bierunter nicht verstanden seyn.* Itque nec urgente necessitate sine Augusti atque Ordinum Imperii consensu in ditione Principis territorialis fortalitium novum magni momenti, id est tale, quod perpetuum usum praebeat, extrui debet, quod si auctoritate imperii decretum fuerit, Principis territorialis consensus accedit oportet. Itaque opera tumultus, quibus fuga sistatur, aut impetus hostium arceatur prout necessitas aut utilitas suaserit, excitari possunt. Certam aliquam regulam definire non ausim, sed urgente necessitatibus telo, varius rei expediendas esse potest modus, prout Duci exercitus atque Principi cuius est fortalitium territoriumque placuerit. Etenim aut castra locari possunt iuxta muros civitatis munitas, ut miles tormentorum bellicorum iectu tutus praestetur, aut cohortes in castrum oppidumque mittantur, ut cum praefidis territoriis arceant hostem, aut occupatur locus natura vel arte munitus, ut remora hosti obiciatur. Haec omnia in territoriis Principum Germaniae fieri posse, et naturalis et civilis ratio dicitat. Principis enim est omni manu sua tueri populum et territorium suum, Imperatoris est territoria

Germaniae et singula eius membra, in quantum fieri potest, salus praestare, bello igitur in ipsum territorium illato, utiusque una eademque est obligatio, sequitur inde, ut et copiae iungi et omnia defendendi media, quae in promptu sunt, communicari debeant. Quidquid enim ad tuendum imperium suscipitur, semper in utilitatem singulorum Principum ac territoriorum vergit, ut adeo in bello imperii quilibet Princeps, cuius territorium hosti expositum est, exercitum imperii omnibus copiis viribusque adiuvare, aut si copiae viresque eius hosti arcendo non sufficiant, circulus eiusque membra idem praestare, aut si unus circulus hosti ac periculo impar sit, duo plures vicini circuli copias et arma iungere teneantur. Namvero errant, labuntur ac decipiuntur, qui officiis erga patriam funtos se existimant, si centum aut quot excurrat milites ratamque copiarum miserint, aut ab alio Princeps conduxerint exsoluta pecuniae summa. Longe maiora exigit et lex imperii et salus populorum, hoste enim appropinquante Principum vicinorum atque circulorum imperii est, armis, copiis viribusque omnibus auxilia ferre populis territoriisque afflictis, ideoque in tempore armaturam instruere. Quod si cum in modum Principes atque circuli regni Germanici officiorum suorum meores et suam et civium suorum et patiae communis salutem curarent, nae hostis vix ac ne vix quidem per triduum intra Germaniam tutus existeret. Cave igitur mala, quibus pressa fuit atque premiuit adhuc Germania, formae reipublicae tribuere, sordida in officiis patiae debilis causa malorum est, et quae Francicus II. A. suadendo exhortandoque saepe monuit sermone paterno, ipsa lex publica praecepit atque patria iure exigit perfecto, ut adeo coactiones, nisi difficiles fere exitus in Germania haberent, suadendae viderentur. At vero meum non est in rebus tam arduis consilium dare, id autem animadventendum duco, inter exceptiones iuris et facti paulo ante recensitas id discriminis intercedere, quod illarum usus decretum Imperatoris Ordinunque regni Germanici exigat, hae contra in arbitrio consilioque Ducum atque Principum territorialium sint positae. Horum enim est statuere, quid salus imperii atque territorii in re trepida exigere videatur. Sed mitto tristia, pia potius vota pro salute et incolumentate patiae atque almae pacis reditu nuncupo, laetamque, que huic libello scribendo praebuit occasionem legentibus nuncio. Decrevit Ordo noster

VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**CHRISTIANO GOTHOFREDO TILLINGIO**  
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRO

summos utriusque iuris honores. Quos equidem tanto maiore cum voluptate annuncio, quanto maiorem spem fiduciamque alo, fore ut doctrina Viri Optimi, si Deus Ipsi, quod precor, vitam viresque largitus fuerit, et litteris et huic Academiae incrementum pariter atque ornementum adserat. De vita sua haec mihi perscripsit:

*Natus sum Annabergae anno h. s. LIX. mense Martio. Parentes habui exiguos et egenos, sed honestos, post cineros etiam summa pietate per omnem vitam colendos; ac patrem quidem Ioannem Gotfridum, pellionem, matrem vero Glockiam ex familia Marchica oriundam. Delatus anno aetatis meae decimo in Lyceum Annae montanum, per XI. annos integros usus ibi sum institutione Nemnauii, Rauschelbachii, Schieflueri, Roschii atque Grimmii, Lycei Rectoris de literis humanioribus cummaxime meriti: inter quos Grimmio et Rauschelbachio plurimum me debere, summa tamen pietate huic deuinctum esse gratissima mente proficer. Hic Vir, enim, Rauschelbachius meus, morum probitate omniisque humanitate insignis, paterno me complexus amore non solum Praeceptor mihi fidelissimus, sed etiam auctor rerum agendarum, fautor, patronus, amicus, et, quod summum est, virtutis exemplar extitit; ita ut huius Viri non possim recordari, nisi commotus iucundissimo animi grati sensu eiusque memoriam nihil quicquam delere valeat. Peracto curriculo scholastico, vt, cui mea studia dicassent, Theologiae successu feliciori incumbarem, anno h. s. LXXXI. Lipsiam me contulit et, a b. Cladio, tum temporis Academiae Rectore, numero Civium Academicorum adscriptus, praecessores mihi elegi in Philosophia Platnerum, in historiis Beckium, Wielandium et Hilscherum, ad intelligentiam auctorum graecorum et latinorum b. Morum, b. Reizium qui me Antiquitates etiam Romanas docuit et Beckium cui quoque artis hermeneuticae pariter ac criticae pracepta publice docentes ad sedi auditor; in hebraicis Dathium: Theologiam theticam veriorenamque Librorum N. T. intellectum b. Morus mihi exposuit. Mutato deinceps studiorum consilio cum Iura discere decreuisse, praeter Sammetum, Iuris Eleganterius Aristarchum, cuius praincipia institutione per integrum fere biennium in omnibus Iuris quas Ille pro-*

sitetur, partibus usus sum, doctores habui S. R. Bauerum, usum Iuris Romani forensem, b. Segerum, Ius Naturae, et Ius Germaniae Publicum; b. Schottum, Ius Germanicum Privatum, Canonicum ordinemque iudiciorum; Iunghansum, Serenissimo Electori Saxoniae nunc a consiliis auctis, Ius Naturae ac Romanum professos. Quibus omnibus ac singulis, ut quisque sua institutione bene de me meritus est, maximas quas debeo ac possum, ago habeoque gratias, per omnem vitam beneficiorum, quibus me instituentes auctum ornatunque voluerunt esse, memor futurus.

Vt autem Literis incumbere possem egenus, Diuino Numinis sic volente ac iubente, multam multorum expertus sum liberalitatem. Ac domi quidem multis meam egestatem jubileuarunt beneficiis Hoffmannus, redditibus metallicis recipiendis et dividendis per regionem Mysiae montanam superiorem praefectus (Oberzehndner und Aufheiler), Eisenstück, Vir honestissimus, beneficentissimus et de sublevata multorum pauperum sorte meritisimus, oppidi Annaemontani Praetor; deinde avus, pluribus abhinc annis vita defunctus, qui mihi parentibus praematura morte orbato patris loco fuit, Raufschelbachius et alii. Lipsiam discessurum Amplissimus Senatus Annaemontanus et Vir bene cordatus, Conradius, oppidi istius Consul, stipendiis me condecorarunt. Nec Lipsiae defuerunt, qui meam egestatem iuvarent. Nam clementia Serenissimi Electoris Saxoniae stipendum publicum; per munificentiam Illustris ICtorum Ordinis Sylversteinianum; tertium ex liberalitate Amplissimi Senatus Lipsiensis cum convictu publico pars beneficii Hoelszeliani mihi obvenere. Plurimum tamen me debere liberalitati S. R. BAUERI, Ordinarii Facultatis Iuridicae Lipsiensis cum maxime meriti, laetus et gratus profiteor. Postquam enim me per duos et quod excurrit annos domi suae benignissime habuit, nunc quoque rebus meis sic favet, ut Divino Numinis quam maxime acceptum referre debeam, quod me huic Viro innotescere voluerit, utque per omnia vitam non possem non esse eidem deditissimus. Praeter hunc autem nominandi mihi quoque sunt, eiusdem Filius Sacrorum Antistes Frohburgi dignissimus, non passus quippe, ut suae adversus me amicitiae documentis correrem; Bauerus, Ordinis ICtorum Adjessor cuius singularem expertus sum favorem; Illustris Ravius, qui me ex eo inde tempore, quo mihi publice disputaturo cathedram operuit, et re et consilio adiuvat; Platnerus qui me patrocinio suo sustinere non designatur, et Martini, meritissimus Scholae Nicolaitanae Rector.

Non ultimum tamen locum inter patronos meos tenent Troeltschius, Sacrorum Antistes in pago cui nomen est Stangengrün prope Ricobacum Vorischorum, et Thielius, Mercator Fribergae honestissimus. Nec silentio praetermittere debeo, me nuper admodum innotuisse genti Groesseliae: habeo enim cur hoc mihi contingere quam maxime laeter.

Pro omnibus his beneficiis in me collatis omnibus ac singulis, qui me adiutum, auctum ornatumque voluerunt voluntque, pia mente gratias ago habeoque quas decet, maximas spondens me talen fore, ut neminem eorum poeniteat benevolentiae mihi praestitae.

Emenso tandem studii Academici curriculo anno h. s. LXXXIX, ab Amplissimo Philosophorum Ordine petii et impetravi Summos in Philosophia Honores, ad quos consequendos Ecclii nostri patrocinium plurimum mihi profuisse gratus agnoscere. Quibus ornatus, ut diligentiae specimen extarent, praeter versionem Librorum Ciceronis quos de Finibus bonorum inscripsit Germanicam, emisi libellum inscriptum: Gedanken zur Prüfung von Kants Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, vorgetragen in Absicht auf die Begründung des Naturrechts. Anno deinceps proximo Illustris Ravius, me ad cathedram Ictorum perduxit, ut defenderem Specimen primum de postumus etc. Anno post, ut iura Magisterii rite capesserem, Commentationem de Religionis natura, in sole eiusque cum moribus nexus publice propositum ex cathedra Philosophorum a contradictorum objectionibus vindicavi: quo facto scholas philosophicas habere coepi et per annum proxime praeteritum, postquam ab Illustri Ictorum ordine prima laurea donatus eram, Iura docere insliti ita, ut paucorum duntaxat Auditorum ferrem suffragia, designatus quippe artificia saeculo recepta. Tandem nuperrime ab Ordine Ictorum observantissime petii, ut me ad consuetum examen pro Licentia, admisum, nisi indignus viderer, Summis in Iure Honoribus augeret. Quibus per Ordinis munificentiam ornari si mihi contigerit, semper ero eidem addictissimus cultor, vitam omnem Literarum studio et Auditorum commodis consecratus.

Dubitare plane non potuit Ordo noster Virum doctissimum ad alterum quoque examen admittere, in quo omnium expectationi ita fecit satis, ut unanimi suffragio dignissimus iudicaretur, qui utriusque iuris Doctor renunciaretur. Itaque ex decreto Ordinis nostri A. D. VIII. Octobris hora pomeridiana II. L. 35. §. 1. C. de-

*inoff. refam.* lectione cursoria in Auditorio Iureconsultorum interpretabitur atque postero die disputationem inaugurelam: DE POSTUMIS HEREDIBUS INSTITUENDIS VEL EXHEREDANDIS ad LL. XXVIII. §. 1. et XXVIII. D. de liberis et postumis etc.

ex intimo iure civili depromptam atque singulari acumine ingenii elaboratam sine Praeside defendet. Quo facto Vir Illustris atque Amplissimus CHRISTIANUS RAU, Iuris Utriusque Doctor, Pandectarum Professor Publicus Ordinarius, Collegii ICtorum et Supremae Curiae Electoralis Saxonicae Adleffor etc. Collega honoratis simus, cui Procancellarius rite constitutus, Promotoris munus delegavi, summos in utroque iure honores cum omnibus privilegiis, iuribusque, excepto uno succedendi iure in Ordine nostro, eruditissimo Candidato conferet.

Sed ut auspiciatoria sint noce dignitatis initia, rogamus Vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCEPS SERENISSIME, ILLVSTRIS SIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE COMMILITONES omni qua pars est observantia, velitis indicatam disputationem ac solemnitatem Vestra praesentia illustriorem splendidoremque reddere, quam quidem benivolentiam, omni, qua fieri potest observantia, demerere studebimus.

P. P. Lipsiae A. D. V. Octobr. CICICL XXXIV.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA SOMMERIA.



SATYR

Leipzig, Diss; 1794



f  
sb.



B.I.G.

Black



PROCANCELLARIUS

D. CHRISTIANVS GOTTLLOB  
BIENERVS

CVRIAEC SVPREMAE ELECTORALIS SAXONICAE ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ADSESSOR INSTITVTIONVM IVRIS PROF.

P V B L . O R D .

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

VIRO CLARISSIMO

CHRISTIANO GOTHOFREDO  
TILLINGIO

A RTIV M LIBERALIV M MAGISTR O

A. D. IX. OCTOBR. C I C C L XXXXIIII.

H. L. Q. C.

I M P E R T I E N D O S

I N D I C I T .

Praemissis observationum iuris publici et feudalis  
specimine I.

*De iure aperturae, quatenus Imperatori atque Imperio in castris ac munimentis  
territoriorum Germanicorum competit.*

